

1857

HOMILETICI.

1858

pore. Hinc non dubito, de nostris Sermonibus agi, rescribendumque in Nota illa *Patavini pro Parisiensis*. Quae porro ulterius ibidem notantur, adscribere hic placet. *Hunc librum testatus est Monasterio sancte Dorothee virginis dominus Michael Plebanus in Pölan (Pölla, Altpölla Auftr. infer.) Canonicus in Sancto Stephano hic wienne, et singularis Capellanus domini Regis romanorum &c. monasterij nostri prenominati fundatoris, quem in Langendorf vngarie constitutum et in extremis laborantem sacramentis ecclesiasticis procuravit. Anno domini M^o. CCCC^o. Tricesimo nono. Idcirco fratres Karissimi orate dominum deum benedictum et gloriosum pro animabus amborum. Sciant etiam fratres mei dilecti, quod prescriptus Rex romanorum fuit dominus Albertus quintus (Imp. II.) Illustris Princeps Austrie et postea factus etiam Rex Hungarie ac Bohemie. Locus mortis Langendorf Hungaris Neszmél dicitur.*

DCCLXXI.

R. 3157

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 209. 4. min. per duas columnas minute, sed elegantissime exaratus, rubro distinctus, et olim ejusdem *Monasterii* perfectius est *Sermonum F. Lucae*, qui hic neque *Parisinus*, neque *Patavinus* audit, Exemplar praevio tam Indice Verborum, quam Schemate omnium Sermonum, tum etiam Prologo instructum, qui incipit: *Narrauerunt*

mibi iniqui fabulationes &c. Tanta est diuine legis excellentia, ut quidquid extra ipsam est fabulatio censetur &c. et in quo legas: Suscipe digne pater totius ordinis minorum minister &c. Sermones censentur CXCII. quorum primus est ille, qui superius secundus dicitur. Codici praetexta est Lacinia cuiusdam Commentarii rabbinici.

DCCLXXII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3150 XIV. Folior. 218. 8. per duas columnas luculente exaratus, rubro distinctus et olim ejusdem *Monasterii* continet *Excerpta e Sermonibus praedicti Lucae* melius *Patavini*, quam *Parisensis*, quamvis etiam hic *Parisinus* vocetur. Initium fecit Librarius a *Sermonibus in Dedicatione Altaris et Ecclesie*, tum ab *Adventu* orditur ita, ut Sermo: *Uniuerse viae domini* &c. supra citatus demum fol. 17. compareat. *Excerpta* plerumque brevia sunt, eaque solum in *Evangelia* et *Epistolas de Tempore*, paucis *Festis* adactis.

DCCLXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R 947. XIV. Folior. 159. f. per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, et olim Collegii S. J. *Vienne* continet varia *Jacobi de Voragine* seu *Varaze* ex Ord. Praed. ad *Genuensem* Archiepiscopatum. a. 1292. adsumti, et a. 1298. mortui, et 1) quidem *Quadragesimale*, quod a *Die Cinerum* incipit: